

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Titi Livi Ab urbe condita libri

Livius, Titus

Berlin, 1909

Periochen

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-4451](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-4451)

# T. LIVI

## AB VRBE CONDITA LIBRORVM PERIOCHAE.

### EX LIBRO XXXXI.

Ignis in aede Vestae extinctus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit, monumentumque operum suorum Gracchurim oppidum in Hispania constituit. et a Postumio Albino proconsule Vaccaei ac Lusitani subacti sunt. uterque triumphavit. Antiochus, Antiochi filius, obses a patre Romanis<sup>5</sup> datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriae ab urbe dimissus. qui praeter religionem, qua multa templa magnifica multis sociis *erexit*, Athenis Iovis Olympii et Antiochiae *Capitolini*, vilissimum regem egit. lustrum a censoribus conditum est; censa sunt civium capita ducenta duodesexaginta<sup>10</sup> milia septingenta nonaginta quattuor. Q. Voconius Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis mulierem heredem institueret. suasit legem M. Cato; extat oratio eius. praeterea res adversus Liguras et Histros et Sardos et Celtiberos a compluribus ducibus prospere gestas et initia belli Macedonici continet, quod Perseus, Philippi filius,<sup>15</sup> moliebatur. miserat ad Carthaginenses legationem; ea ab his nocte audita erat. sed et alias Graeciae civitates sollicitabat.

### EX LIBRO XXXXII.

Q. Fulvius Flaccus censor templum Iunonis Lacinae tegulis marmoreis spoliavit, ut aedem, quam dedicaverat, tegeret. tegulae ex senatus consulto reportatae. Eumenes, Asiae rex, in senatu de<sup>20</sup> Perseo, Macedoniae rege, questus est, cuius iniuriae in populum Romanum referuntur. ob quas bello ei indicto P. Licinius Crassus consul, cui mandatum erat, in Macedoniam transiit levibusque expeditionibus, equestribus proeliis, in Thessalia cum Perseo *parum felici* eventu pugnavit. inter Masinissam et Carthaginenses de agro<sup>25</sup> fuit *lis*. dies eis a senatu ad disceptandum datus. legati missi ad socias civitates regesque rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. lustrum a censoribus conditum est; censa sunt civium capita ducenta sexaginta septem milia ducenta triginta unum. res praeterea adversus Corsos et Liguras prospere gestas continet.<sup>30</sup>

Abweichungen vom Text der Jahnschen Ausgabe  
(Lipsiae MDCCCLIII).

2. *monimentumque*] NP; *monumentumque* Jahn. — 8. *sociis*] NP; *locis* Jahn. — *erexit*] fehlt in NP; *posuit* Roszbach. — 11. *septingenta*] DCC NP; CC Jahn. — 13. *Liguras*] NP; *Ligures* Jahn. — 24. *parum felici eventu*] r; *eventu* NP; \* *eventu* Jahn. — 26. *a senatu ad disceptandum*] NP; *ad disceptandum a senatu* Jahn. — 30. *Liguras*] NP; *Ligures* Jahn.